

Ceterum hoc tempore cunctorum Principum in Lusitaniam
mentes obvertebantur, cum pridie kal. februarii Henricus Rex
Cardinalis ex humanis sublatis, regnum ex testamento ad quin-
que ab se institutos gubernatores, quibus ad successorem de-
ligendum certas conditiones præscripserat, detulisset. Ac ple-
rique verebantur, ne Lusitaniæ successione, vel jurium va-
riete, vel competitorum viribus, vel populorum in diver-
sas partes propendentium studio, publica quies turbaretur.
Nam quotquot ab Emanuele, decimoquarto Lusitaniæ Rege,
qui partæ salutis anno M. CCCC. LXXXV. gubernacula sus-
ceperat, originem traxerant, vario ad regnum jure niteban-
tur. Fuere Emanueli filii eo ordine ac filiæ, Joannes, Isa-
bella, Beatrix, Ferdinandus, Ludovicus, Alphonsus Cardi-
nalis, Henricus Rex ac Cardinalis, atque Edvardus; ex Jo-
anne orti Joannes Princeps & Maria; ex Joanne Sebastianus
Rex, qui in Africana expeditione interiit. Maria Philippo
Hispaniarum Regi nupsit, quem ex Isabella, Joannis sorore
natu majore, Carolus Cæsar suscepit. Ex Beatrice Emanuel
Philibertus Sabaudiæ Dux prodiit. Ludovicus Antonium ex
Jolanda illegitimis (ut ferebatur) nuptiis progenitum reli-
quit. Ab Edvardo demum feminæ duæ fluxere, Maria, Ra-
nutii Farnesi Parmensis Principis, uxor; & Catharina,
quam Joannes Brigantinus Dux conjugio sibi copula-
verat.

Philippus itaque Hispaniarum Rex, quod majori natu Ema-
uelis filia, Isabella nempe, oriretur, regnum ad se jure spe-
ctare contendebat; Brigantinus Catharinæ uxor nomine, uti
Edvardi, Isabellæ fratri, filiæ Lusitaniam petebat. Alexan-
der Parmensis Princeps, Octavii Ducis filius, Ranutii jure,
uti ex Maria majori Edvardi natu filia, Catharinæ sorore ni-
tebatur. Emanuel quoque Philibertus, Sabaudiæ Dux, ex
Beatrice, matris Philippi Regis sorore, ortus, jura sua in
medium proferebat. Verum Antonius Crati Prior, Ludovici
filius, regnum sibi vendicans, regios titulos susceperat; le-
gitimo connubio procreatum, non nothum, uti vulgo jacta-
batur, se esse professus; populorum in primis favore ac viri-
bus innixus, quos uti Castellanorum hostes, quælibet potius
subituros, quam in eorum ditiones venturos sibi suadebat.

At

1580
Henrici
Lusitania
Regis obt-
tus.

Lusitanioris
Regum sœ-
mata.